

interisse ait *Oudinus* T. I. col. 475. *Miraeus* vero in *Schol. ad c. 10. Gennadii* tanquam superstitis in Collegio S. J. *Brugensi* et Bibliotheca *Pameliana* meminit, licet aliud ei adsignet initium. Id certum, in Codice nostro nihil haberi de *Pelagiana* illa continentia, velut naturae debito munere, de qua *Gennadius* loquitur, sed simul addendum, Exemplar ita finire: *et subita libido rursus ignescit in saturitate escharum &c.* Unde conijci possit, Librarium vel hoc ipso *Pelagianorum* errore absteritum Epistolam imperfectam reliquisse. Ut ad priora Figmenta *Augustiniana* verbulo redeam, nihil eorum ante *Jordanum de Saxonia* Eremitam *Augustinianum*, Seculumque adeo XIV. Literatis cognitum fuisse, observant *Mauriani* T. VI. Opp. *Aug. Adpend. col. 303.*

CCCLXII.

U. 821 Codex chartaceus germ. Sec. XV. Folior. 177. f. per duas columnas luculenter et nitide scriptus, minioque distinctus *Johannis Cassiani XXIV. Patrum Collationes* utili Compendio exhibet. Prologus Epitomatoris ingreditur a narratione Visionis Apocalypticae

Daz buch hat ain end.

Dez synd fro mein bend.

CCCLXIII.

R. 55 Codex membraneus lat. Sec. XII. Folior. nunc 74. 4. sat niti-

Cap. IV — V. et per XXIV. *Seniores* totidem *Anachoretas Aegypti*, perque XXIV. *Citharas* totidem eorum *Collationes* sive *Doctrinas* asceticas intelligit. Initium est: *Sanctus Johannes der Ewangelist in dem buch der haimlichen offenbarung von dem gesichte das er ains mals gesehen het in dem ewigen leben vnder anndern Worten stet geschriben. Sanctus Johannes sache ain kayserlichen thron, darinne was ain kuniglicher stul &c.* Per decursum mentio injicitur *Henrici Susonis* autoris *Libri de aeterna Sapientia* Ord. Praed. qui sancti Fratris (*des hailigenn bruder Seusen*) et beati (*des saligen Seusen*) elogio decoratur, cumque circa annum 1365. mortem obpetierit, Codicis nostri aetatem quadantenus definit. Extrema Prologi sunt, qua ratione *Cassianus* et *Germanus* in *Aegyptum* delati Senum expetierint adloquium. Tum minio: *Die ersten Collation oder Harpffen lert ain hailiger altuatter hiejs Moyses vnd sagt von ainem lauttren rainen Herten vnd wie man die gewynnen vnnnd darzu kom vnnnd das auch behallt.* Ita et deinceps singulae *Collationes* seu *Citharae* inscribuntur. Ad calcem joculariter *Librarius*:

de perscriptus, rubricis decorus, et quondam *Congregationis Casin. alias S. Justine deputatus in Monasterio S. Seuerini et Sosij de Nea-*

Neapoli, ut p. 1. subnotatur, hunc titulum praefert: *In dei nomine summi opificis incipit praepatio libri prosperi. De Vita Contemplativa.* Libri hujus, seu rectius III. Librorum Autorem non esse *Prosperum Aquitanum* post medium V. Sec. vivis exemptum, quamvis varii id ab usque IX. Seculo tenuerint, sed *Jul. Pomerium Caesarii Arelat.* Sec. V. praeceptorum pluribus argumentis, et inter ea testimonio S. *Isidori Hispal. de Scriptt. eccl. c. 12.* ostenditur in *Fabricii Bibl. Eccl. ad Gennadii c. 84. in Hist. liter. de la France T. II. p. 402.* et in *Adpend. ad Opera Prosperi edit. Paris. 1711. Admonit. praevia f. quo te, si lubet, refer.* Jam Praefatio incipit: *Diu multumque renisus uoluntati tuę mi domine studiosissime pontificum iuliane &c. rectiusque in Codice post verba: Sed iam ipsa capitula quę utcunque soluenda proposuisti adtexam, Elenchum XXV. Capitum statim inserit, et dein continuat: Itaque iubes ut paucis edifferam &c. quam in Editis, ubi duae hae Praefationis partes connexae sunt, eisquę demum Elenchus subjungitur. Libri III. c. 15. verbis: unde peccati desideriiis seruiamus — — evulsis membranis*

abrumpitur Opus, cujus lectio pæne nunquam ab Editis discedit. Leve est in Praef. quod iuberetis accederem pro accedere, et pravum, ut innubilanda cognosceret, pro illuminanda, vel, ut alii Codices, enubilanda, aut innubilata, quemadmodum solertes Editores

adnotarunt. In alio Codice solum *Caput ult. nobis deesse dixi.*

II. *Fol. nunc 49.* ob evulsas, ut dixi, membranas initio trunca sequitur *Συλλογή* ascetica ad instar *Scintillarum Bedae*, cujus prima verba: *bono proposito adhuc in mentis teneritudine esse conspicitur, despiciatur, quia frumentum dei ab herba incipit.* Articuli deinceps integri his rubricis gaudent: *De Confessione. De penitentia. De compunctione. De amicitia uera. Ut boni uitare debeant consortium malorum. Quod amici uitium corrigendum esse oporteat. De amicitia muneribus orta. De falsis amicis. De exemplis sanctorum. De libero arbitrio. De vitiis. De conlutatione carnis et spiritus. De superbia. De Humilitate. De luxuria. De continentia. De sublimibus potestatibus. De iustitia principum. De pravis iudicibus. De oppressoribus Christi pauperum. De iniustitia. De breuitate vitę. Neminem iustorum contristari morte debere. Cum sit in uiuendo labor et periculum, in moriendo pax et resurgendi securitas.* Adscribam ultimi hujus initium: *Melior est dies mortis die Natiuitatis. Melius est exire de seculo. et carere tribulationibus. quam ingredientem mundum hęc omnia sustinere.* Et finem: *quia cor eius anxietate et suspitione confunditur.* Compilatorem nescio; video tamen illum potissimum uti *Sententiis Isidori Hispal.* Quod ait in Art. *de Exemplis Sanctorum fol. 61. adlato illo Hieronymi: Non ierosolimis fuisse, sed iero-*

ierosolomis bene uixisse laudabile est, loco: ac sic et de ierosolimis et de brittannia equaliter patet aula regni celestis, patriam coniecto, quin tamen aufim Bedam adpellare.

CCCLXIV.

U. 102 Codex membranaceus lat. Sec. XV. Folior. 130. 8. nitide perscriptus, Librorum initiis et fronte, quae *Matthiae Corvini Hung. Regis insignia praefert, picturata, inscribitur purpura: De uero iudicio et prouidentia dei et ipsius gubernatione hominum et rerum mundi huius: libri octo beati Saluiani (additum recentius massyliensis) Episcopi ad Sanctum Salonium Episcopum (additum Vienstensem). Prooemium. Init ita: Sancto episcopo Salonio Saluianus episcopus in domino salutem. Omnes admodum homines qui pertinere &c. Et Liber I. Incuriosus a quibusdam et quasi negligens humanorum actuum deus dicitur &c. Et Liber VIII. finit: que patiantur et que fecerunt. Retinet Codex hic etiam post *Rittersbusii* et *Baluzii* curas pretium suum inde, quod ex eo *Joh. Alex. Brassicanus* noster aureum hoc *Saluiani* non Episcopi, sed Presbyteri *Massilien.* circa *Coloniā Agripp.* oriundi, circaque an. 485. defuncti, ut pluribus *Hist. litter. de la France* T. II. p. 517. et *Fabricii Bibl. med. Lat.* XVIII. docent, Opus cum Literatis opera *Frobenii Basil.* 1530. f. communicaverit. An eum *Ludovici* Regis adolescentis dono, ut*

de quibusdam graecis Autoribus in sua ad *Cpb. de Stadion Ep. Augustanum* Praefatione fatetur, habuerit, an vero commodatum solum, ut typis ederet, in comperto non est. Utcunque se etiam res habeat, *Ludovico* a. 1526. paludibus *Mobacsinis* hausto, et occupata mox a *Solymano Buda* opportune Codici accidit, a Bibliotheca abfuisse. Habet ille in marginibus manu *Brassicani* eadem Summaria, quae nunc in Editione *cit.* visuntur, habet et Numeros ad loca, ad quae ille Annotationes meditabatur nunc sub iisdem Numeris p. 54. ad *Saluiani* calcem adjectas. Adjutum tamen et alio Codice fuisse suadent subpletiones et emendationes, quas quandoque in ora videas. Ita statim in *Prooemio* a prima manu defuit: *materias sibi delegissent. Fol. 3. p. 2. nunc dicantes* emendatur per *vindicantes* &c.

CCCLXV.

Codex membranaceus lat. Sec. R. 2132 X. Folior. 75. 4. min. optime servatus, nitidissime scriptus et rubro distinctus ita caractere majusculo insignitur: *In hoc Codice. Continent. Alcimi. auiti. Vienstensis. Episcopi. Libri. Numero. VI. Feliciter. De Inicio mundi. liber. Primus. De originali peccato liber. II. De Sentencia Dei liber. III. De diluio mundi liber. IIII. De transitu Maris liber. V. De consolatoria laude Castitatis. liber. VI. Dixi alio hujus Vol. loco, ut Index docet, de his Poematibus et Au-*